

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3629

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye, abbé)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1261, août

Lieu d'émission : Vincennes

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant deux chartes, de l'abbaye de Troarn, d'une part, et du prieuré de Brewton du diocèse de Bath et Wells en Angleterre, d'autre part, Louis [IX], roi de France, confirme l'échange fait entre eux des biens et possessions que l'abbaye de Troarn avait en Angleterre avec ceux que ledit prieuré avait en Normandie.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 673, p. 139-141.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras abbatis et conventus Troarni vidimus in hec verba :

Excellentissimo domino Ludovico, Dei gratia, Francorum regi illustrissimo, frater Willermus humilis abbas monasterii Sancti Martini Troarni et ejusdem loci conventus, salutem, et, cum omni subjectione reverentia et honore, orationum suffragia devotarum. Excellentie vestre notum fieri volumus, quod nos viris religiosis priori et conventui de Briwtona in Anglia, super quadam permutatione inter nos et ipsos facta ad nostram et suam utilitatem, litteras nostras fecimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis vel auditoris, Willelmus, divina permissione, abbas monasterii Beati Martini Troarni totusque ejusdem loci conventus, ordinis Sancti Benedicti, Baiocensis diocesis, salutem in Domino. Cum nos haberemus in Anglia in Wygorniensi diocesi ecclesiam Beati Andree de Withehurst' cum tota decima de feodo comitis de Hereford in eadem villa, et ecclesiam de Horseleg' cum decimis ejusdem ville, maneriumque cum suis pertinentiis in terris, possessionibus, boscis, planis, pannagiis, pascuis, pratis, vivariis, molendinis, redditibus, hominagiis, liberis hominibus et villanis, servitiis, libertatibus, juribus, et rebus aliis, necnon et in Cycestrensi diocesi haberemus manerium de Rungetona cum decimis, terris, possessionibus, boscis, planis, pannagiis, pascuis, pratis, molendinis, redditibus, hominagiis, liberis hominibus et villanis, servitiis, libertatibus, juribus et rebus aliis ad monasterium nostrum, racione dictorum maneriorum, spectantibus, et viri religiosi prior et conventus Beate Marie de Briwtona, ordinis Sancti Augustini Bathoniensis et Wellensis diocesis haberent in Normannia in diocesi Baiocensi apud Lyon supra mare ecclesiam ejusdem ville et capellam de Crisselon cum decimis, et manerium de Lyon cum terris, possessionibus, redditibus, una cum terris, possessionibus, redditibus, una cum reddito de Meysuns et de Siccavilla, hominagiis, servitiis, libertatibus, juribus et rebus aliis, necnon et in Constantiensi diocesi haberent dicti religiosi ecclesias de Moyun et de Petrivilla, cum decimis, maneriis ei rebus

aliis, et nos fructus et profectus seu proventus ecclesiarum, decimarum, maneriorum, terrarum, possessionum, reddituum et aliarum rerum predictarum de Anglia non possemus habere sine difficultate maxima, periculis, dampnis non modicis et expensis, nec dicti prior et conventus de Briwtona similiter fructus seu proventus ecclesiarum, decimarum, maneriorum, bonorum et possessionum predictarum sitarum in Normannia sine gravi periculo, dampnis, et expensis et incommoditate non minima habere poterant, nos abbas et conventus Troarni, pensata prius utilitate monasterii nostri, necnon ecclesie de Briwtona supradicte, prefatas ecclesias, decimas, maneria, terras, possessiones, redditus, hominagia, servicia, libertates, jura et omnia premissa et omnes res alias quas habebamus seu habere poteramus vel ipsi habebant seu habere poterant in locis prenominatis, de communi assensu nostro et voluntate et predictorum religiosorum, petita hinc inde primitus ab ordinariis nostris permutandi licentia et impetrata, auctoritate eorumdem interveniente, ad invicem permutavimus, ita quod nos de hiis que habebamus in Anglia nichil nobis retinuimus, nec predicti religiosi de hiis que habebant in Normannia aliquid sibi retinuerunt vel aliquid juris nobis de cetero vindicare poterimus vel ipsi sibi poterunt, exceptis tenementis, hominagiis, redditibus et rebus aliis que habemus apud Helyng' que nobis duximus specialiter retinenda, et mobilibus et se moventibus nostris nobis et sibi suis, prout ad nos et ad eos pertinent, reservatis. Ut autem hec permutatio perpetuam habeat firmitatem, presentes litteras predictis priori et conventui fecimus et eas sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Datum anno Domini, M^o CC^o sexagesimo, mense Augusti.

Inde est quod nos excellentie vestre supplicamus, orantes affectione qua possumus ampliori, quatinus dictam permutationem. Itam fructuosam nobis et priori et conventui supradictis, concedere et confirmare dignemini et velit, divine pietatis intuitu nostrorumque precaminum interventu. Conservet altissimus regiam excellentiam vestram incolumem per tempora longiora.

Item litteras prioris et conventus Briwtone vidimus in hec verba:

Universis Xpisti fidelibus presentes litteras inspecturis vel auditoris, Willermus prior Briwtone, Bathoniensis et Walensis dyocesis, et ejusdem loci conventus, ordinis sancti Augustini, salutem in Domino. Cum nos haberemus in Normannia in dyocesi Baiocensi apud Lyon supra mare ecclesiam ejusdem ville et capellam de Crisselon cum decimis, et manerium de Lyon, cum terris, possessionibus, redditibus, una cum redditu de Meysuns et de Siccavilla, hominagiis, serviciis, libertatibus, juribus et rebus aliis necnon et in Constanciensi diocesi haberemus ecclesias de Moyum et de Pierrevilla cum decimis, maneriis et rebus aliis, et viri religiosi abbas et conventus Beati Martini Troarni, ordinis Sancti Benedicti, Baiocensis diocesis haberent in Anglia in Wygorniensi diocesi ecclesiam Sancti Andree de Wythehet cum tota decima de feodo de Hereford in eadem villa et ecclesiam de Horselee cum decimis ejusdem ville, maneriumque cum suis pertinentiis in terris, possessionibus, boscis, planis, pasnagiis, pascuis, pratis, vivariis, molendinis, redditibus, hominagiis, liberis hominibus et villanis, serviciis, libertatibus, juribus et rebus aliis ad monasterium ipsorum, racione dicti manerii, spectantibus, necnon et in Cycestrensi diocesi haberent dicti abbas et conventus manerium de Rogentona, cum decimis, terris, possessionibus, redditibus, boscis, pasnagiis, molendinis, juribus, libertatibus, hominagiis, serviciis et rebus aliis ; et nos fructus, profectus seu proventus ecclesiarum, decimarum, maneriorum, terrarum, possessionum, reddituum et aliarum rerum predictarum de Normannia non possemus habere sine difficultate maxima, periculis, dampnis non modicis et expensis, nec dicti abbas et conventus de Troarno similiter fructus et proventus ecclesiarum, decimarum, maneriorum, bonorum et possessionum predictarum suarum in Anglia sine gravi periculo, dampnis et expensis et incommoditate non minima habere poterant, nos predicti prior et conventus Briwtone, pensata prius utilitate ecclesie nostre de Briwtona necnon et monasterii Troarni, prefatas ecclesias, decimas, maneria, terras, possessiones, hominagia, servicia, libertates, jura et omnia premissa, et omnes res alias, quas habebamus seu habere poteramus vel ipsi habebant seu habere poterant in locis prenominatis, de communi assensu nostro et voluntate et predictorum abbatis et conventus, petita hinc inde primitus ab ordinariis nostris permutandi licentia et impetrata, auctoritate eorumdem interveniente, ad invicem permutavimus, ita quod nos de hiis que habebamus in Normannia nichil nobis retinuimus nec predicti abbas et conventus de hiis que habebant in Anglia aliquid sibi retinuerunt, vel aliquid juris nobis de cetero vindicare poterimus vel ipsi sibi poterunt, exceptis tenementis, hominagiis, redditibus et rebus aliis que predicti abbas, et conventus habent apud Helyng' que sibi duxerunt specialiter retinenda, et mobilibus et se moventibus nostris nobis et sibi suis, prout ad nos et ad eos pertinent, reservatis. Ut autem hec permutatio perpetuam habeat firmitatem, presentes litteras predictis abbati et conventui fecimus et eas sigillis nostris signavimus. Actum anno Domini M^o CC^o sexagesimo, mense Augusti.

Nos autem, ad petitionem partium, permutacionem supradictam, quantum in nobis est, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo in omnibus jure nostro ac eciam alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in

futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Vicenas, anno Domini. M° CC° sexagesimo primo, mense Augusto.